



Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalivm Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantùm ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

Ab Alexandro VI. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

sed ut fertur nondum euulgatus. Romæque iacet
in æde S. Mariæ de Populo.

AB ALEXANDRO VI. CREATI.

IOANNES MORTON Cardinalis Anglus & Archiepiscopus Cantuariensis, quædam scripsit, ut refert author Catalogi scriptorum Angliæ. Obiit anno 1500. Cantuariæ sepultus.

IOANNES ANTONIVS de Sancto Georgio Mediolanensis ex Episcopo Alexandrino Cardinalis, æui sui Iurisconsultorum Princeps habitus est, ut refert Corpus, scripsitque

Lecturas ad Decretum.

Lecturas super Decretales.

Commentaria in quartum Decretalium.

In tit. secundi Decretalium de Appellationibus.

De Feudis.

Tractatus multos in varios utriusque Iuris titulos.

Orationem in Dominica Passionis coram Summo Pontifice habitam.

Et alia quædam. Obiit Romæ anno 1509. Sepultusque est in æde S. Celsi Camillo Porcario in eius funere orante, ubi hoc habet Epitaphiū.

D. O. M. Hic sepultum est corpus Domini Ioannis Antonij de Sancto Georgio Mediolanensis Episcopi Sabinensis, S. R. E. Cardinalis Alexandrini nuncupati. Societas Saluatoris ad Sancta Sanctorum hæres ex testamento. **B. M.** posuit 1511. 7. kal. Decembris.

IOANNES DE LA GROLAYE Gallus ex Episcopo Lombariensi ad Cardinalatus fastigium electus; scripsit

In

In libros Sententiarum.

Sermones ad Populum.

Collationes habitas cum Clero, &

Orationem ad Summum Pontificem, & Cardinalium cætum. Obiit Romæ anno 1499

BERNARDINVS CARVAIL Hispanus ex Episcopo Carthaginensi Cardinalis, Orationes plures habuit, quarum tres tantum variis locis editæ sunt, vide-
licet

Ad Cardinales de eligendo Pontifice Innocentio
8. defuncto.

Ad Sextum 4. & Cardinalium Collegium in Sa-
cello Pontificio. Et

Ad Maximilianum Imperatorem. Sepultus est
Romæ in æde sanctæ Crucis in Ierusalem. Vin-
centio Pimpinellâ in eius funere orante, ubi
hoc legitur Epitaphium.

Bernardino Caruaial natione Hispano, patriâ Placentino, E-
piscopo Ostiensi, Cardinali Sanctæ Crucis, ob egregias virtutes,
doctrinamque in sacris literis singularem ab Alexandro 6. Ponti-
ce Maximo, in numerum Patrum ascito, pluribus Legationibus
pro Republica Christiana functo integrè sapienterque, prosperâ
fortunâ moderatè, aduersâ constanter vso, per omnem vitam pio
ac religioso, vixit annos 67. menses 3. dies 8. Obiit 17. Kal.
Januarij an. 1523.

Hic Bernardinus Caruaial S.R. E. Cardinalis Episcopus O-
stiensis quiescit donec ad æternam resurgat vitam.

RAYMUNDVS PERAVLD Surgeriis in Xantoni-
bus natus, Ibidemque S. Aegidij Prior, ex Episcopo
Gurcensi & Apostolicæ Sedis per Germaniam Nuncio
Cardinalis scripsit

De dignitate Sacerdotali super omnes Reges terræ.

O

De actis suis Lubeci & in Dacia
 Libellos varios olim in Germania excusos.
 Epistolas aliquot ad Capnionem & alios. Viter-
 bii iacet in Ecclesia Augustinianorum cum hoc
 Epitaphio.

Raimundus Perauldi Patriæ suæ Xantonensis Episcopus, ac
 S.R.E. presbyter Cardinalis Gurcensis, proque ea Legatus, adeo
 opulentiae contemptor, ut elargiendo nihil sibi relinquere; ab Iulio
 tamen 2. Pontif. Maximo ditatus, dum Patrimonij legatione
 fungitur, Viterbij obiit Nonis Septembris anno Salutis 1505. ut-
 que ab Iulio tradita solum retinere occuperat, sic monumentum hoc
 haud quæsum reuerentia eiusdem approbare credendum est. Vi-
 xit annos 70.

HIPPOLITVS ESTENSIS, Herculis 1. Ferrariae
 Ducis Filius ex Episcopo Agriensi & Archiepiscopo
 Strigoniensi Cardinalis, Ludouicum Ariostum & Fran-
 ciscum Nigrum in famulitio habuit, scripsitque verna-
 culâ linguâ.

Librum à Cœlio Calcagnino postea latinitate do-
 natum, de nauali certamine quo anno 1509.
 Venetorum Classem fudit. Obiit anno 1520
 Sepultusque est in Cathedrali Ferrariensi Cœlio
 Calcagnino in eius funere orante.

D OM I N I C V S G R I M A N V S Antonij Venetiarum
 Ducis Filius Cardinalis (cui Sabellicus, Niphus, Erasmus
 & Picus Mirandula, libros inscriperunt) instructissi-
 mam 8000. voluminum Bibliothecam & quædam
 ingenii sui monumenta reliquit. Operum eius tomus
 quidam extat manuscript in Bibliotheca Cardinalis
 Sirleti.

De intensione & remissione scripsit etiam, ut refert Tossignanus.

Epistolasque aliquot ad Sabellicum, Erasmus, & alios. Non solum autem doctrinâ, sed etiam singulari pietate præditus fuit; Cum enim Venetiis Pater eius reus à rerum capitalium Ministris in carcerem duceretur, in ipsa purpura patris compedium pondera, dum scalas ascenderet, sacratis manibus sustinuit. Romæ sepultus est in æde Sanctorum Ioannis & Pauli, cum hoc Epitaphio: Baptista Cœlio in eius funere orante.

Dominico Grimano Episcopo Portuensi, Cardinali S. Marci, Patriarchæ Aquileiensi, inculpatissimæ vitæ, omnium scientiarum peritissimo, temporaneum depositum Nepotes pientissimi posuerunt luctu totius urbis. Vixit annos 62. menses 6. dies 8.
Obiit 27. Augusti 1523.

ALEXANDER FARNESIUS Cardinalis, demum Paulus Papa 3. opum quibus Farnesiana domus immensum pollet primus accumulator: Pomponio Læto omnium id temporis humaniora profitentium principi, in disciplinam traditus; Græcas literas, nec non disciplinas mathematicas apprimè calluit. Adolescentis, Ciceronis Epistolas ad Atticum magno eruditus studio, & interposito hinc inde iudicio declarationibus illustrauit, ut refert Petrus Victorius, multumque in poetica profecit, ut auctor est Lilius Gregorius Giraldus. Extant 13. eius Epistolæ ad Federicum Nauseam, Erasmus (quem in Cardinalium ordinem allegere decreuerat) Cortesium & alios. Pluresque eruditissimos viros Cardinalibus accensuit quo firmioribus munimentis insisteret Ecclesia.

Obiit an. 1549. Sepultus in Basílica Vaticana cum hoc Epitaphio.

Paulo 3. Farnesio Pontifici Optimo Maximo.

BERNARDINVS LONATI Papiensis Cardinalis
scripsit

Pronosticen ad Alexandrum 6. Manuscript. in Bibliotheca Cardinalis Sirleti Iacetque Romæ in æde S. Mariæ de Populo cum hoc Epitaphio.

Bernardino Lonati S. Cyriaci in Thermis Diacono Cardinali, cui Fortuna generosos natales, Natura corporis dignitatem, animique soleritiam, virtus vero ut in Patrum honoratissimorum collegium cooptaretur, indulserat: qui cum in dies et foris et domi egregiam, pro sancta Romana Ecclesia nauando operam, prudenter, constantiam, fide maior insurgeret, etatis sue 45. Sacerdotij vero quarto anno è tanta rerum expectatione, immaturâ morte surripitur.

IOANNES STEPHANVS FERRERIVS ex Oppido Biello Vercellensis diecesis, Cardinalis & Episcopus Bononiensis, rei literarię cultor exactissimus, suo labore & industriâ effecit, ut Aristotelis magna moralia, priscis saeculis numquam præcognita, nobis communia fecerit Iacobus Faber Stapulensis; qui ea sub eiusdem Cardinalis auspicio, felici retectione typis mandauit: ut notat author anonymous qui Trithemium de scriptoribus Ecclesiasticis suppleuit, Romæ in æde S. Clementis hoc habuit Epitaphium.

Ioanni Stephano Ferrerio Sanctorum Sergij et Bacchi presbytero Cardinali Bononiensi, viro sanctitate doctrinaque insigni. Vixit. an. 36. menses 5. Obiit an. 1510. 3. Nonas Octobris. Iulio Pontifice Max.

FRANCISCVS SODERINVS ex Episcopo Valtellano Cardinalis, Pisis ius Cesaræum & Pontifi-

cium incredibili auditorum frequentia & admiratione,
nunquam rarescenti auditorio, Philippo Decio acri
æmulo concurrente, interpretatus est: scripsitque, ut
author est Pocciantius, complura noti tiâ dignissima,
decretorum difficultates enodantia, sed impolita, &
quibus extrema desit manus. Obiit Romæ an.
1524. sepultusque est in æde S. Mariæ de populo cum
hoc epitaphio.

Francisci Soderini Episcopi Ostiensis & Volaterrani depositum.

HADRIANVS CASTELLENsis Cornetanus I-
talus, ex Episcopo Erfordiensi, & Bathoniensi Cardina-
lis, primus omnium memoriâ nostra fuit, qui post Cice-
ronis sæculum suis scriptis mortales ad perfectas literas
ex probatissimis authoribus hauriendas excitauit: scrip-
sit autem latinissimè tersâ & defecatâ dictione.

De modis latinè loquendi.

Devera Philosophia libros 4. ex quatuor Ecclesiæ
Doctoribus conscriptos, variâ eruditione &
multa pietate refertos.

Venationem ad Ascanium Sfortiam Cardinalem
versibus Phaleucis.

Iterque Iulii Papæ 2. versibus Heroicis. Obiit
circa annum 1518. Sed quo loco incertum: ten-
tatis enim sub Leone x. Pontificatus arcans,
ex spes vitae ubi facinus in aperto esse subsensit,
in umbrante vesperâ arto comitatu Româ e-
gressus est; suffugium procul urbe quæsiturus,
imminentemque perniciem voluntario exilio
præuertere satius duxit.

A IVLIO II CREATI.
GALEOTVS FRANCIOTVS de Ruuere, ciuis &